

DISPUTATIO XIV.

DE SUBJECTO APTO AD SUSCIPIENDA SACRAMENTA.

Disputationem hanc prætermisit D. Thom. in hac materia de sacramentis in genere; inferius vero de singulis sacramentis disputans, nunquam fere illam prætermittit, quia cum subjectum susceptivum sacramenti sit aliquo modo causa ejus in genere causæ materialis, ejus cognitio pertinet ad exactam scientiam sacramenti et causarum ejus tradendam. Et propter eandem rationem visum est, nonnulla de hac causa sacramentorum præmittere, tum ad materiæ complementum, tum etiam ut faciliorem paremus viam ad ea, quæ de singulis sacramentis dicenda sunt. Tria vero sunt, quæ de subjecto susceptivo sacramenti considerari possunt. Primum, quid ex parte ejus requiratur ad valorem sacramenti. Secundum, quid necessarium sit ad sacramenti effectum obtinendum. Tertium, quo modo digne suscipiatur. Ex his vero tribus secundum late superius tractatum est disp. 7, sect. 4. De tertio vero inferius dicendum est in parte morali; solum ergo superest, ut de primo puncto dicamus.

SECTIO I.

Quinam sint capaces sacramentorum.

4. Ex hæreticis quidam dixerunt, solos prædestinatos esse capaces sacramentorum, qui error tribui solet Joanni Wicleph, et Joanni Hus, de quorum errore satis dictum est in præced. disp. de ministro; est enim quoad hoc eadem ratio de ministro et de suscipiente. Alii vero dixerunt, solos justos esse capaces sacramentorum, cum quibus agemus sect. seq. Omissis ergo hæreticis,

2. *Homines viatores solum esse sacramentorum capaces.* — *Objectio.* — *Solutio.* — *Beata Virgo quo modo fuerit effectuum sacramentorum capax.* — Dico primo, solos homines viatores esse capaces sacramentorum. Est res certa et evidens suppositis principiis fidei, quia sacramenta instituuntur ad sanctificandos per gratiam eos, quibus conferenda sunt (agimus enim præcipue de sacramentis legis novæ); ergo tantum illi sunt capaces horum sacramentorum, qui sunt capaces gratiæ; hujusmodi autem sunt solæ creaturæ rationales; cum autem sacramenta sint cære-

moniæ sensibiles, neque ad Angelos pertinent, neque illi esse possunt capaces eorum; et eadem fere ratione non pertinent ad beatos homines, etiam si admittamus, aliquos jam esse corpore gloriosos, quia usus harum cæremoniarum et sensibilibus signorum, valde alienus est ab eorum felici statu. Eo vel maxime, quod sacramenta sunt instituta ad gratiam dandam vel augendam; cum tamen neque Angeli, neque beati omnes in statu sint, in quo possint gratiam vel augmentum ejus acquirere. Dices, sacramentum posse separari ab effectu suo; ergo ex incapacitate effectus non potest colligi incapacitas sacramenti. Nonnulli enim existimarunt, Beatam Virginem post conceptionem Filii sui fuisse incapacem augmenti gratiæ, cum tamen non negarent, nec negare possent, esse capacem sacramenti. Respondetur, quamvis valor sacramenti et effectus ejus quoad actum non sint necessario conjuncti, tamen quoad capacitatem ex parte subjecti, ipsa ratio et institutio sacramenti postulat, ut habeant necessariam connexionem. Quia sacramenta sunt instrumenta a Christo instituta ad dandam gratiam; ergo ex institutione sua, tantum sunt ordinata ad personas gratiæ capaces, et pro illo statu in quo sanctificari possunt; et ita Christus Dominus, ubicumque de sacramentorum institutione vel dispensatione sermonem habet, ad hujusmodi personas illum dirigit, ut cum dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Non enim docentur ab hominibus, nisi homines viatores; et cum dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non enim remittuntur peccata nisi hominibus viatoribus. Illa vero sententia de Beata Virgine probabilis non est; juxta illam tamen respondendum esset, Beatam Virginem propter aliquam dispensationem, vel legem Dei extrinsecam, non potuisse post Filii conceptionem in gratia crescere, tamen per se et juxta statum suum, capacem fuisse gratiæ et augmenti ejus; et hoc satis esse, ut fuerit capax sacramentorum. Quod de baptismo necessario dicendum est, nam per se est institutus ad dandam primam gratiam; unde per se respicit subjectum capax primæ gratiæ; Beata autem Virgo ratione suæ perfectionis et confirmationis in gratia non poterat amplius primam gratiam recipere; tamen, quia ex vi conditionis et status talis personæ erat capax ejus, ideo hoc satis est, ut fuerit capax baptismi.

3. *Creaturæ irrationales sacramentalia*

quidem, non tamen sacramenta recipere possunt. — Dices, rationem adductam solum procedere de sacramentis novæ legis, non autem in veteribus, exceptis illis, per quæ significabatur gratia, quæ in eis dabatur, ut erat circumcisio, et sacramentum legis naturæ; nam de his recte procedunt omnia, quæ de nostris sacramentis dicta sunt; secus autem videtur esse de aliis, per quæ solum dabatur sanctificatio legalis, nam hujusmodi sanctificatio conferri potest rebus etiam inanimatis; sic enim sanctificatur templum, calix, et similia; et per eam sanctificationem significari posset interior ac perfecta sanctificatio. Respondetur, solos homines fuisse semper capaces sacramenti proprie dicti, quia sacramentum, ut supra diximus, quamvis non semper ordinetur ad dandam gratiæ sanctificationem, semper tamen proxime refertur ad ipsos cultores Dei, scilicet ad initiandos illos et consecrandos aliquo modo cultui divino; soli autem homines inter creaturas sensibiles sunt cultores Dei. Unde illæ cæremoniæ, quæ interdum fiunt ad sanctificandas aliquo modo res inanimatas, non sunt proprie sacramenta, prout nunc de sacramentis loquimur, sed dicuntur sacra quædam, seu sacramentalia. Unde fit non solum de facto, sed etiam de possibili, irrationales creaturas esse prorsus ineptas et incapaces sacramentorum.

4. *An Angeli sint sacramentorum capaces.*

— Hic vero inquiri potest, an possint institui sacramenta sensibilia, quorum Angeli sint capaces. Respondetur, non posse quidem Angelum in se recipere immediate materialem passionem, ut v. gr., ablutionem vel unctionem, quia hoc requirit materialem contactum, et quantitatem in utroque extremo, posse tamen fieri de potentia absoluta, ut Angelus sanctificetur per signum sensibile, ut per vocem, aut per actionem factam circa aliquod corpus. Nam sicut dæmon cruciatur per ignem, tanquam per instrumentum Dei, ita posset Angelus sanctificari per aquam, vel aliud sensibile signum; hic autem modus sanctificationis non est consentaneus angelicæ naturæ, primo quidem, quia omnino spiritualis est, et ideo non oportuit eam perfici et sanctificari per signa sensibilia, quamvis in pœnam peccati subjiciantur mali Angeli actioni instrumenti sensibilis; tum etiam quia sanctificatio Angelorum, quæ fit in via, cum ipsa natura incipit, et uno actu perfecte merito ac deliberato consummatur; in

patria vero, ut diximus, non est consentaneus sacramentorum usus.

5. *Nullus homo viator est incapax omnium sacramentorum.* — Dico secundo: omnes homines viatores sunt capaces sacramentorum novæ legis. Non affirmo, quemlibet hominem esse capacem omnium, sed indefinite, sacramentorum. Et hoc sensu est assertio certissima, quia nulla est ætas, nullus sexus, nullave conditio, quæ personam viatricem absolute reddat incapacem omnium sacramentorum, si ea velit suscipere, ut postea dicemus. Item, omnes viatores de se sunt capaces gratiæ, et illa indigent, et sacramenta sunt media ad hujusmodi gratiam conferendam instituta; ergo ex se omnibus dari possunt; ergo etiam ex parte personarum omnes sunt capaces eorum, nam cæremoniæ sensibiles sacramentorum, per se loquendo, circa quemlibet hominem exerceri possunt. Est autem in primis circa hanc assertionem observandum, hominem viatorem (prout de illo nunc loquimur) non inchoare viam, donec ex utero matris natus est; tunc enim incipit esse viator in foro Ecclesiæ, seu humano; nam quamdiu est in utero matris, licet coram Deo jam sit viator, quatenus est persona a matre distincta, capax propriæ originalis culpæ, propriæque sanctificationis, si Deus illum conferre velit, tamen quoad nos homines, qui sensibus utimur, tunc censetur inchoare viam suam, quando hac luce frui, nobisque sensibilibus apparere potest; et ideo, quamdiu homo latet in utero matris, non est capax sacramenti, quod per ministros Ecclesiæ visibilis modo sensibili et ad subjectum sensibile applicari debet. Deinde est observandum, hanc capacitatem non respicere immediate omnia sacramenta, sed solum sacramentum baptismi, cujus omnes viatores ex se capaces sunt proxime, ac immediate, quia baptismus, ut postea dicemus, est janua sacramentorum; post illum vero susceptum omnes homines sunt capaces saltem aliorum duorum sacramentorum, scilicet confirmationis et Eucharistiæ; nam hæc nullam aliam conditionem certam requirunt, quæ simpliciter necessaria sit ad valorem vel effectum sacramenti; aliorum vero sacramentorum non omnes homines sunt capaces, sed quædam requirunt certam ætatem, alia determinatum sexum; alia vero conditiones alias, quæ in singulis sacramentis explicanda erunt. Quocirca ultimo observandum est, hanc capacitatem non solum esse physice considerandam per mo-

dum propriæ potentiae passivæ, sed præcipue per modum capacitatis moralis; si enim physice consideremus capacitatem hominis ut circa illum exercentur actiones illæ, vel cæremoniae, in quibus ritus sacramentorum consistunt, nullus homo est, qui, per se loquendo, non habeat hanc capacitatem, ut per se constat, sive sacramentum recipiatur per inhærentiam, sive per contactum, sive per verborum prolationem, aut alio modo simili. Tamen sicut sacramentum non est tantum ille ritus externus quomodocumque factus, sed cum debitis conditionibus, ac necessariis, ut sit signum efficacis gratiæ, ita illa capacitas physica et materialis (ut sic dicam) non satis est ad capacitatem sacramenti, sed requiritur ut conjunctas habeat eas circumstantias et condiciones, quæ juxta Christi institutionem necessariæ sunt ad sacramentalem ritum; et hanc propterea vocamus capacitatem moralem. Atque his observatis, sicque prædicta assertionem exposita, nulla difficultas circa illam explicanda occurrit.

SECTIO II.

Utrum ad valorem sacramenti requiratur ex parte suscipientis consensus voluntatis ejus, vel aliqua alia dispositio.

1. *De pueris nulla quæstio est.* — Hæc difficultas locum non habet in parvulis, qui ratione uti non possunt, quia, cum illi non sint capaces proprii consensus, aut dicendum est, eos esse incapaces omnium sacramentorum, quod est hæreticum, aut Deum miraculose efficere, ut consentire possint susceptioni sacramenti, illuminando eos interius, eosque præveniando, ut ratione uti possint, sicut hæretici fingunt, quod vanum est, ac temere et sine fundamento excogitatum, non solum contra totius Ecclesiæ sensum, omniumque Patrum doctrinam, verum etiam contra experientiam ipsam, ut in materia de baptismo latius dicturi sumus. Aut dicendum est, infantes esse capaces sacramentorum sine proprio consensu, quod est certissimum, ut latius citato loco dicemus.

2. *Prima sententia.* — Quæstio ergo superest de adultis. In qua, prima sententia est, ex parte suscipientis sacramentum, non requiri internam consensum, seu intentionem suscipiendi sacramentum, sed solum ut non habeat contrariam voluntatem; ut si Gentilis seu infidelis adultus, qui nihil unquam de

baptismo cogitavit, ut illum velle aut nolle potuerit, dormiens baptizetur, sacramentum erit validum, juxta hanc sententiam, quam defendit Cajetanus infra, quæst. 68, art. 7. Qui motus videtur primo ex verbis Innoc., in c. Majores, de Bapt., ubi sic inquit: *Tunc characterem sacramentalis imprimat operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit.* Secundo, exemplo parvulorum, in quibus, ut diximus, nulla voluntas requiritur, sed sola non repugnantia. Tertio, in sacramento extremæ unctionis videtur colligi ex usu; datur enim homini baptizato, si contingat eum subito rationis usum amittere et in mortis periculum incidere, quamvis nullam voluntatem ostenderit recipiendi sacramentum, quia satis existimatur, quod contrariam voluntatem non habuerit. Quarto, quia Concil. Florent. tribus tantum dixit perfici sacramenta, materia, forma et ministro habente debitam intentionem; si autem intentio suscipientis esset necessaria, debuisset quatuor numerare. Nec multum ab hac sententia discrepat Gloss., in cap. Solet, verbo Simulatione, et verbo Implorandum, de Consecr., dist. 4, quanquam illa sentit, etiam contrariam voluntatem recipientis non ob stare veritati sacramenti, ex c. de Judæis, 45 dist., ubi tamen non est sermo de suscipiente sacramentum sine ullo interiori consensu, sed de illo, qui per vim adducitur ut consentiat. In eadem fere sententia fuit Glos. in c. Majores, de Baptismo, verbo Perdurare, quæ tamen addit quod si quis ore consentiat, quamvis corde dissentiat et nolit sacramentum, nihilominus sacramentum recipiet, quia Ecclesia dare illud intendit; et ita interpretatur cap. Sicut ficti, 4, quæst. 4, et cap. Solet, de Consecr., dist. 4. Sed hoc quod hæc Glossa addit, si, ut sonat, intelligatur, improbable est, quia solius oris mendacium non potest conferre ad valorem sacramenti, si interior intentio necessaria est; vel, si hæc non est necessaria, neque oris mendacium reputari potest necessarium, ut sacramentum teneat; ergo si is, qui interius non habet voluntatem recipiendi sacramentum, exterius illam ostendens, verum sacramentum recipit, eadem ratione, etiam si exterius contradicat, sacramentum erit validum, quod falsissimum est, ut dicemus; ergo æque fere falsum est, exteriorem consensum sine interiori ad valorem sacramenti sufficere. Nec Decreta, quæ illa Glossa allegat, quidquam juvant; nam in priori, in quo dicitur sacramentum cum fic-

tione esse validum, non est sermo de ficta voluntate recipiendi sacramentum; sed de obice seu fictione contraria effectui sacramenti; quo sensu dicere solemus, sacramentum incipere habere effectum recedente fictione. In posteriori autem capite, quod ex Augustino sumptum est, lib. 7 de Bapt., cap. 53, potius aperte dicitur, ad veritatem sacramenti requiri, ut absque simulatione recipiatur; est autem propria simulatio, et contrarium habet in aliquid profitetur, et contrarium habet in corde. Dixi autem, hujus Glossæ sententiam falsam esse, si prout sonat intelligatur, quia in alia Gloss. marginali ita exponitur, ut non sit sensus, tale sacramentum verum esse, sed solum in foro Ecclesiæ verum præsumi, quando suscipiens exterius profitetur velle se suscipere sacramentum, quod quidem in se verum est, quia licet postea neget se interius consensisse, non est ei fides adhibenda; tamen si Glossæ illæ hunc sensum intendebant, nec verbis suis satis explicant, nec veram differentiam assignant inter dantem, et recipientem sacramenta; nam in illo dicunt requiri intentionem dandi, in hoc vero negant requiri intentionem recipiendi. Nam si loquantur in re ipsa, hoc posterius falsum est, ut videbimus; si vero in foro Ecclesiæ, nulla est differentia, nam etiam sacramentum datum a ministro, qui exterius professus est velle se dare sacramentum, ratum habebitur in foro Ecclesiæ, etiam si ille postea neget se habuisse intentionem dandi, ut in matrimonio constat, et eadem ratio est de aliis. Quod intelligendum est, quando ex signis et conjecturis exterioribus non potest satis probari humano modo ac morali defectus interioris intentionis.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia in alio extremo esse potest, præter voluntatem suscipientis sacramentum requiri aliquam aliam dispositionem ad valorem sacramenti. In qua dispositione potest esse latitudo et opinionum varietas; nam illi hæretici, qui putabant, neminem recipere verum sacramentum, nisi qui recipit sanctificationem seu sacramenti effectum, consequenter dicerent, gratiam seu dispositionem illam, quæ ad effectum sacramenti necessaria est, ad valorem etiam sacramenti requiri, quia non est cur Deus conferat sacramentum, quod maximum donum est, homini indigno et sine fructu. Alter vero modus dicendi esse potest, saltem fidem requiri in suscipiente ad valorem sacramenti, quod significat August.,

lib. 7 de Baptismo, cap. 53, in c. Solet, de Consecr., d. 4; dicit enim, ut sacramentum teneat, oportere, ut sine simulatione et cum aliqui fide recipiatur. Et propter hanc fortasse causam dixit Cyrillus Hierosol., in præf. Catech., rebaptizari eos, qui in statu hæresis baptizati fuere.

4. *Conclusio prima.* — *Innocentii verba explicantur.* — *Declaratur conclusio in singulis sacramentis.* — Dico tamen primo, ad valorem sacramenti necessarium esse, ut recipiens habeat intentionem seu voluntatem formalem, aut virtualem, seu interpretativam recipiendi sacramentum. Hæc conclusio colligitur ex communi sententia Theologorum, qui hoc specialiter docent de baptismo, ut patet ex D. Thom. infra, quæst. 68, art. 7, et in 4, d. 6, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3; Bonav., d. 4, art. 2, q. 1; Scot., quæst. 4; Durand., q. 7; Richar., d. 6, art. 2, q. 3; Palud., q. 2; Adrian., q. 1 de Bapt., art. 3; Alex. Alens., 4 part., q. 48, membr. 4, qui idem docent de sacramento Ordinis, et de aliis, ut suis locis videbimus; ac de sacramento Eucharistiæ similiter docent, si aliquis baptizatus et in gratia existens illud recipiat casu et sine voluntate recipiendi sacramentum, non recipere effectum ejus, quia illa sumptio non est sacramentalis; ergo in aliis sacramentis, quorum substantia consistit in usu, multo magis requirent prædictam voluntatem, ut talis usus sit sacramentalis, atque adeo ut conficiatur verum sacramentum. Et probatur hæc sententia primo ex Concil. Carthag. 3, cap. 34, ubi sic dicitur: *Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur;* et in Concil. Arausic. 1, cap. 12, similiter dicitur: *Obmutescens baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* In quibus Conciliis aperte supponitur, voluntatem adulti esse necessariam, ut sacramentum recipere possit. Idem clarius docet Innocent. IV, in c. Majores, § Item quæritur de bapt., ubi inquit: *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti;* et paulo post inde probat, eum, qui contradicit susceptioni sacramenti, etiam si invitus baptizetur, non recipere sacramentum: *Quia plus est (inquit) expresse contradicere, quam minime consentire.* Quod ergo in fine totius capituli concludit, tunc sacramentum esse validum, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, juxta

præcedentia intelligendum est, nam per voluntatem contrariam intelligit, non solum positivum dissensum, sed etiam carentiam consensus. Quia enim quæstio proposita fuerat de illo, qui invitatus baptizatur, ideo de hoc expresse respondet; jam vero declaraverat, solam carentiam consensus obsistere sacramento. Eo vel maxime, quod moraliter loquendo, adultus, qui non consentit, resistere censetur, et invitatus pati, et ideo pro eodem censetur, moraliter loquendo, carere consensu, et habere obicem dissentientis voluntatis. Præterea, in eadem sententia est Augustinus, in c. Cum pro parvulis, de Consecr., d. 4, ex lib. 4 de Bapt., c. 24, ubi ait, ideo sufficere ut pro parvulis alii respondeant, quia ipsi respondere non possunt. *At, si pro eo (inquit) qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: Ætatem habet, ipse pro se loquatur*, Joan. 9. In quibus verbis rationem differentiae assignat inter parvulos, et adultos, nam sacramentum ut validum sit, non easdem conditiones requirere debet in omni subjecto, sed juxta uniuscujusque capacitatem; quia ergo parvulus non est capax propriæ voluntatis, voluntas Christi seu Ecclesiæ ei sufficit; secus vero esse debet in adulto, qui capax est propriæ voluntatis. Atque eandem doctrinam habet idem Augustinus, lib. 7 de Bapt., c. 53, prout habetur in d. c. Utrum sub figura, quamvis Glos. ibi textum destruat. Ex his ergo satis constat, hanc fuisse Christi voluntatem, et institutionem, quæ est prima ac præcipua radix hujus veritatis; et ex usu et traditione Ecclesiæ præcipue habetur; indicatur vero in illis verbis Christi, Matth. ult.: *Ite, docete omnes gentes*; debet ergo doctrina præcedere baptismum, ut sicut fides voluntarie suscipienda est, ita et baptismus; atque eadem ratione quodlibet sacramentum voluntarie suscipiatur ab his, qui voluntate propria uti possunt. Ratio vero seu congruentia est, quia sicut ad suavem Dei providentiam spectat non justificare adultum, nec gratiam illi augere, sine ejus consensu et voluntaria dispositione, ita pari ratione pertinet ad idem providentiæ genus, ut nullus adultus per sacramenta initiatur, vel consecratur sine proprio consensu. Quod tandem confirmatur et declaratur inductione facta in omnibus sacramentis, nam in tribus illis, quæ imprimunt characterem, valde necessarium fuit, ut in adultis non essent valida sine proprio eorum

consensu, ut de baptismo dicitur in d. c. Majores; alioqui, cum hæc sacramenta iterabilia non sint, statim imprimerent characterem; unde sequeretur, cogendum esse ad fidem et ad profitendam legem Christi eum, qui sine proprio consensu adultus baptizatus est, quod esset magnum incommodum, et contra convenientem Ecclesiæ gubernationem, et propagationem, ut latius in materia de fide disputatur. Præterea de matrimonio, et poenitentia, sunt speciales rationes evidentes; matrimonium enim essentialiter fundatur in contractu; contractus vero hujusmodi omnino necessario requirit consensum, seu voluntatem dandi et acceptandi; ergo voluntas contrahendi et tradendi mutuo corpora sua, est necessaria in conjugibus suscipientibus hoc sacramentum; præsertim, quia cum ipsi sint ministri talis sacramenti, necessaria est illis intentio faciendi sacramentum. Poenitentia vero intrinsece involvit, ut ex propria voluntate oriatur; unde non solum voluntas suscipiendi sacramentum, sed etiam aliqua alia dispositio ac voluntaria retractatio peccatorum est necessaria ad valorem hujus sacramenti. Rursus Eucharistia, quia non consistit in usu, sed fit per consecrationem materiæ, ideo non pendet in suo fieri ex voluntate suscipientis, sed ex sola intentione consecrantis; et quia est sacramentum permanens, postquam semel factum est, non pendet in esse et conservari ab usu vel voluntate utentis. Unde fit, ut tale sacramentum re ipsa sumi possit ab invito, vel non habente voluntatem suscipiendi sacramentum, ut si casu, vel per errorem aut deceptionem contingat proponi ad manducandum panem consecratum loco communis panis; tamen, ut supra insinuavimus, et suo loco latius dicemus, illa sumptio sacramenti est mere materialis, et non est usus sacramentalis, id est, sacer et ordinatus ac sufficiens ad effectum talis sacramenti, nam in eo casu sic recipiens sacramentum non reciperet effectum ejus, nec per illam corporalem refectionem interior animæ reffectio aut unio animæ cum Christo significaretur, quia ille non est humanus usus sacramenti, ut sacramentum est; in hoc ergo mysterio ad recipiendum sacramentum etiam requiritur voluntas et consensus suscipientis, si sit capax illius, quantum pro sacramenti qualitate et modo requiri potest, scilicet ad formalem usum ejus. Solum ergo superest, ut in extrema unctione hoc etiam explicemus; nam in hoc etiam sacramento verum est, nunquam dari

homini sine illius consensu et voluntate; hæc tamen voluntas non oportet ut sit actualis, sed satis erit, quod fundetur in aliqua priori voluntate non retractata, ratione cujus susceptio sacramenti moraliter voluntaria censetur, ut a fortiori patet ex his, quæ de intentione ministri superius tractavimus. Quin potius minor concursus voluntatis hujus requiritur in suscipiente, quam in ministrante sacramentum; nam quia in ministro intentio concurrat aliquo modo ut causa efficiens sacramentum, ideo oportet ut sit actualis, vel saltem virtualis; in suscipiente vero non requiritur ut causa influens in sacramentum efficienter, sed solum ut conditio ex parte subjecti necessaria, ut sacramenti susceptio sit voluntaria, non ut effectus, sed ut objectum volitum, ad quod satis est, quod aliquis actus præcesserit, qui non sit retractatus, sed habitualiter ac moraliter maneat. Propter quam rationem diximus etiam superius, sacramentum non posse ministrari ab amente, ratione intentionis prius habitæ, posse tamen recipi ab amente ratione voluntatis et consensus prius adhibiti. Adde præterea, hunc consensum, quem necesse est præcessisse, quando actu non adest, non esse eodem modo necessarium in omnibus sacramentis; nam baptismus, v. gr.; quia est janua ad Ecclesiam, et in eo fit prima solemnis professio fidei et legis Christi, ideo videtur requirere in adulto voluntatem magis expressam et formalem. Similiter poenitentia quia essentialiter includit actus poenitentis ut materiam, ideo etiam requirit voluntatem formalem, qua poenitens se, et actus suos clavibus Ecclesiæ subiciat; at vero in extrema unctione, quæ per se supponit hominem baptizatum, et bene dispositum per poenitentiam, et non postulat aliquos actus ipsius hominis recipientis tale sacramentum, ut ipsum aliquomodo constituent, non requiritur voluntas adeo expressa et formalis suscipiendi tale sacramentum in particulari, sed sufficit voluntas, qua unusquisque fidelis poenitens ac beate dispositus vult frui omnibus sacramentis et remediis a Christo Domino ad suam salutem institutis, et ea cupit sibi applicari, si eis indigerit. Quam voluntatem et petitionem ab ea profectam exigit Ecclesia in particulari circa sacramentum extremæ unctionis, quando homo est sui compos, suamque voluntatem explicare potest; quando vero non potest, si aliunde constet, hominem ægrotum esse bene dispositum, seu signa poenitentiae dedisse, præsumit Ec-

clesia illum habuisse saltem generalem illam voluntatem, quam explicuimus, eamque sufficientem reputat ad hoc sacramentum præstandum.

5. Atque ex his non solum probata est assertio posita, sed etiam fere responsum est fundamentis, quæ in favorem Cajetani adduximus, præsertim tribus primis. Ad quartum vero ex Concil. Florent., respondetur, Concilium Florentinum non numerasse suscipientem, et intentionem ejus, quia hæc non in omnibus nec semper sunt necessaria; ad conficiendum enim sacramentum Eucharistiæ non requiritur suscipiens ex vi sacramenti, et in parvulis non est intentio necessaria. Adde, in sacramentis, quæ consistunt in usu, suscipientem quodammodo includi in materia, quatenus hæc consistit in passione aliqua, quæ circa suscipientem exercetur.

6. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: excepto poenitentiae sacramento, in reliquis nulla dispositio fidei, poenitentiae, aut justitiæ necessaria est ad valorem sacramenti. De exceptione posita dicemus suo loco, quia in illo sacramento illud est peculiare, ut idem actus, quo suscipiens disponitur ad effectum sacramenti, sit pars substantialis ipsius sacramenti. De reliquis ergo sacramentis certa est conclusio, primo ex definitione Conciliorum et Pontificum tradentium, hæreticos baptizatos, vel ordinatos, si juxta ritum Ecclesiæ Catholice baptizati, vel ordinati sint, non esse iterum baptizandos, vel ordinandos; quorum testimonia præcedenti disput. adducta sunt. Supponunt ergo, sacramentum susceptum sine vera fide, et consequenter sine ulla super naturalidistinctione voluntatis, esse validum. Eandem veritatem sæpe tradit Augustinus, lib. 2 contra Parmen., cap. 16, lib. 2 contra Petil., c. 33, ubi dicit, *si quis baptizetur propter flagitium aliquod committendum, dummodo baptizari velit, vere manere baptizatum.* Idem, lib. 3 de Bapt., c. 14, atque eodem sensu, lib. de Catechiz. rud., c. 17, dicit, aliquos fieri Christianos propter lucrum temporale, et nihilominus valide baptizari. Et hoc ipsum confirmat historia, quam refert Niceph., lib. 14 Histor., cap. 17, videlicet, Judæum quemdam, lucranda pecuniæ causa, sæpe baptismum accepisse, ac tandem cum a quodam Paulo Episcopo baptizandus accederet, ineffabili quadam divina providentiæ vi, aquam semel atque iterum disparuisse, atque illo mirabili signo compertum esse, illum Judæum prius fuisse baptizatum. Unde etiam